vilegia revocarunt in suis constitutionibus Pontificibus, quas refert *Fenna in fine directorii Inquisitorum*, inter litteras Apostolicas pro officio Inquisitionis. Et ita advertit *Azor. tomo 1. libro octavo institution. moralium capit. decimosexto*, *quæstione decimaterta*. Si quæ autem posthæc privilegia obtinuerint eos libros legendi: eis standum erit, donec denuo revocentur.

46 At Inquisitores fidei legentes hujusmodi libros excusat ab hac excommunicatione *Graffis 1. part. decisionum*, *lib. 4. cap. 18. num. 45.* & eorum quoque substitutos non solùm à sede Apostolica deputatos, sed ab ipsis quoque Inquisitoribus. Quia Julius III. in motu proprio, quem *numero præcedenti* retuli, id ipsis indulsit. At is motus proprius nil circa hoc indulget: sed tantùm non revocat privilegia ipsis Inquisitoribus concessa legendi hujusmodi libros, & commissariis super hæretica pravitate à sede Apostolica deputatis, dum officio commissionis funguntur. Ut constat ex tenore dicti motus propii, quem etiam refert *Azor. d. c. q. 13.* Quare si speciale hos libros legendi privilegium non habeant, incurrent legendo.

47 Undecimò deducitur, non incurrere hanc excommunicationem, qui memoriter dictos hæretici libros recitat. Quia aliud est legere, & aliud memoriter recitare. Ita *Hugol. d. verb. Ac eorumd. in §. 1. num. 4. vers. 10.* Quamvis minùs benè *Graffis 1. part. decis. lib. 4. cap. 18. num. 45.* dicat hunc incurrere. Et minùs etiam benè *Sayro* dicit *in thesaur. cas. tom. 1. l. 3. c. 5. num. 13.* hunc non incurrere, quando bono fine recitat: quasi contrarium sentiat, ubi malus est finis. Quippe Bulla hæc non finem spectat, sed factum ipsum, atque hoc excommunicatione punit. At recitare malo fine non est legere.

48 De audientibus verò legentem hujusmodi libros, est gravior difficultas. Quidam ita distinguunt. Si audiens non sit causa lectionis, minimè incurrit. Ut si cum librum legi non curavit, nec consuluit, nec ex sua attentione ad lectionem alter ad legendum inducitur. Secùs autem de audiente qui lectionis est causa. Ut si præcipiat, consulat, suadeat: aut quovis alio modo causa fit. Ratio est, quia prior modo audiens, nullatenus legere dicitur. Posterior autem dicitur moraliter legere. Quamvis enim per se ipsum non legat, legit tamen per famulum, vel alium, cujus ministerio in hac lectione utitur. Ita sentiunt *mzor. tomo 1. lib. 8. instit. moral. cap. 16. qu. 4. Sayro in thesauro casuum*, *tom. 1. lib. 3. cap. 5. num. 14. Graffis 1. part. decisionum*, *lib. 4. cap. 18. num. 45.* At neutrum incurrere sentio. Quòd neuter verè, & propriè legat, sed hic posterior impropriè, & metaphoricè. Atque ita censura lata in aliquid facientem, minimè comprehendit consulentes, mandantes, nisi specialiter exprimantur: etsi hi impropriè, & per alium dicantur facere. (Ut hæc latè probavi *lib. 3. de matrim. disputatione 49. numero 2.*) Et ita hanc partem tenet *Hugolinus d. verbo*, *Ac eorumdem libros*, §. 1. *numero 4. v. 8. 9. & 10.* ubi benè excipit, nisi quis audiret, ut faveret hæresi. Tunc enim non legentis, sed fautorum excommunicatione innodaretur.

49 At famulus illa jussu heri legens, ut herus audiat, incurret hanc excommunicationem. Quia scienter legit, nec jussus heri excusat. Ita *Azor. eodem cap. 16. quæst. 4.* Excusaretur tamen si metu gravi, non in fidei, aut Ecclesiæ contemptum, legere compelleretur. Quia præcepta Ecclesiastica, quale est hoc non legendi libros hos, non cum tanto detrimento obligare, probavi *libro præcedenti c. 18. n. 4.* Imò, etsi peccaret mortaliter legendo, quando in fidei contemptum metu gravi compelleretur, non incurreret hanc excommunicationem. Quia hic non delinquit in præceptum Ecclesiæ hanc lectionem interdicentis, cujus transgressioni statuta est hæc pœna: sed in præceptum divinum tuendæ fidei, & religionis. Ut dixi *eodem cap. 18. numero 4.* Præterea, quia idem dicunt de Christianis remigantibus in Turcarum triremibus, quando Christianos invadunt, dicentes cos culpa lethali non liberari, benè tamen excommunicatione Bullæ Cœnæ. Quos retuli *libro præcedenti cap. 7. n. m. 18.* Et ita in nostris terminis docet *Hugolin. dict. verb. Ac eorumdem libros*, §. 1. *in fine*.

50 Quamvis verò audiens, qui est lectionis causa, ab hac excommunicatione excusetur, videtur non excusari ab ea, quæ continentur in *c. Nuper*, *& c. Si concubina*, *de sentent. excommunicationis*, contra participantes cum excommunicato in crimine crimmoso: utpote qui participat in lectionis crimine, ob quod legens in excommunicationem incidit. At dicendum est, nec hanc incurrere. Quippe ut ea participantium excommunicatio contrahatur, exigitur ut excommunicatus, cum quo participatur, sit nominatim excommunicatus. Ut habetur *dict. c. Nuper*. Imò hodie post Concilium Constantiense exigitur, ut sit denuntiatus, aut notorius clerici percussor. Ut cum aliis benè tradunt *Navarr. summa c. 27. numero 112. Enriquez lib. decimotertio de excommunicatione*, *capit. nono*, *numero primo*, *& secundo*, *Suarez 5. tomo in 3. par. disputatione decimaseptima*, *sectione secunda*, *numero quinto*. At hic legens, nec est nominatim excommunicatus, nec denuntiatus.

51 Tandem circa hos legentes dubitabit aliquis, an si legant lingua scriptos hujusmodi libros, quam penitus non intelligunt, incurrant? Ut si quis Latinè, Græcè, &c. norit legere, ac penitus nil intelligat, & ea lingua scriptos legat. Neminem de hoc tractantem inveni. At credo hunc non incurrere. Quia cùm finis hujusmodi prohibitionis sit, ne legens imbibat hæresim, qui in hoc eventu locum habere nequit, ea prohibitio à sui principio non comprehendit hunc casum. Itaque non innitor, eò quòd in hoc particulari casu cesset finis legis: sed quòd attento fine à sui principio non comprehensus sit hic casus. Inter quæ multùm distare, quo ad non obligandum, probavimus *libro secundo*, *de matrimon. disputatione 37. num. 3.* Sed objicies idem videri, quando quis non legit partem, in qua est hæresis. Cùm tamen dixerimus *numero 35.* hunc incurrere. Sed respondeo disparem valde esse rationem. Quia hic more humano legit, & assicitur ad auctorem, ejusque stylum, ac proinde facilè potest ejus doctrinam imbibere. At ille legit more psittaci, nil penitus intelligens: & proindè tantùm materialiter legit.

52 Duodecimò deducitur, incurrere hanc excommunicationem retinentes scienter hujusmodi libros hæreticorum, sive in sua, sive in aliena domo, sive suo, vel alieno nomine retineant: quia verè retinere dicuntur. Ita docent *Graffis 1. par. decisionum*, *lib. 4. cap. 18. num. 48. Sayro thesauro casuum*, *tom. 1. lib. 3. cap. 5. numero 16. Hugolinus de censuris Papæ reservatis 2. part. cap. 1. verbo*, *Aut retinentes*, *in principio num. 3. v. 3.* Qua ratione benè ait incurrere bibliopolas eos retinentes, ut conglutinent. Quia verè retinent, etsi nomine alieno. Nec refert quavis lingua liber scriptus sit, ut retinens excusetur, eò quòd illam non intelligat. Quia retentio hæc non attendit libri intelligentiam: sed id prohibuit Pontifex, quòd nolit hujusmodi libros apud aliquem esse, sed penitus exterminari. Et constat ex dicendis *num. sequenti*.

53 Quare non excusat retinentes hos libros, quòd non legendi causa retineant, sed curiositatis, aut ornatus bibliothecæ, aut permutandi cum libris catholicis, vel confutandi errores hæreticorum. Quia omnes verè retinentes sunt. Et constat ex ratione tradita *numero præcedenti*, *in fine*. Ita *Hugolinus eodem verbo*, *Aut retinentes*, *in principio*, *à numero 1. usque ad 4.* Qui *statim*, §. 1. *numero unico*, *versic. 4.* benè docet incurrere quoque aromatarios, & lanios retinentes hos libros, quò aromata, carnesve vendenda obvolvant. Quia verè retinent, & in causa sunt, ut libri folia in plures distribuantur.

54 Sufficit quoque ad hanc censuram, ut partem alicujus libri ex his quis retineat. Sicut *n. 30.* diximus satis esse partem libri legere. Quia verè dicitur retinere librum. Ita *Hugolinus eodem verbo*, *Ac retinentes*, *in principio*, *n. 3. v. 6.* addens dummodo ea pars hæresim contineat. Sed hæc limitatio non est necessaria. Quia eo ipso quòd aliqua pars ejus libri hæresim contineat, totus est prohibitus, & legens partem, in qua non est hæresis, atque ea deleta incurrit. (Ut *n. 35.* diximus.) Ergo idem est de retinente. Cum eodem tenore legens, & retinens excommunicentur. Addit etiam *Hugolin. ibi* retinentem folium hujusmodi libri incurrere. At hoc rigidum censeo. Quamvis enim juxta dicta *n. 31.* ea materia sit sufficiens ad hanc censuram respectu lectionis libri prohibiti: at respectu retentionis parva videtur. Cum minus delictum sit retinere, quam legere.

55 Excusat quoque ab hac censura parvitas temporis, quo liber retinetur, expectando tempus breve, quo ad Inquisitores deferri possit commodè. Ita *Hugolinus eodem verbo*, *Ac retinentes*, §. 1. *num. unico*, *vers. 2. Sayro d. cap. 5. n. 16. Graffis d. cap. 18. n. 47.* At in hoc casu non est necesse ad temporis parvitatem confugere. Si enim commoditas deferendi ad Inquisitores deesset, & illa absque fraude, & negligentia diu expectaretur, non esset locus huic censuræ. Quia non dicitur verè retinere contra Ecclesiæ interdictum, qui opportunum tradendi tempus expectat. Sicut nec dicitur rem alienam invito domino possidere, eam restituendi commodè occasionem expectans. Et ideò existimo etiam data commoda præsentandi occasione, excusare ab hac censura brevitatem temporis retentionis, ut per unam, vel alteram diem. Quod videtur docere *Sayro eodem numero 16.* Quia ad tantam pœnam contrahendam est modica retentio. Sicut in restitutione rei alienæ, quæ strictiori naturæ jure obligat, id contingit.

56 Tandem circa hos retinentes id observandum est. Quamvis aliquid doceant posse eos, ad quorum manus hi libri devenere, propria auctoritate comburere. Quos tacito nomine refert *Azor. tom. 1. lib. 8. institutionum moralium*, *c. 16. qu. 11.* Atque *Campegius in additione ad Zauchinum de hæreticis*, *cap. 7.* tantùm appellat tutius eos libros Inquisitoribus tradere. At optimè dicit *Azor. eadem q. 11.* necessario tradendos esse Inquisitoribus. Quia Julius III. in motu proprio, quem *num. 45.* retuli, sic ait: *Qui verò tales libros habuerint, eos consignare debeant realiter, & cum effectu Inquisitoribus civitatum, in quibus ejusmodi libri extiterint. Atoquam tamquam hæretici possint publicari.* Quod benè ait *Azor. ibi* intelligendum, quando hi possunt sine gravi suo detrimento, aut periculo Inquisitoribus tradere. Existimo tamen comburentem propria auctoritate non incurrere hanc censuram. Quia non verè retinet.

57 Decimo tertiò deducitur, incurrere quoque hanc censuram imprimentes hos libros. Ut expressè dicitur in ea

prima

prima Bullæ Cœnæ clausula. Nomine autem imprimentium continentur, quicumque ad impressionem proximè cooperantur. Ut sunt officinæ patronus, seu dominus, cujus auctoritate libri imprimuntur. Qui typos ordinant, & componunt. Qui fic compositos attingunt atramento. Qui torcularia premunt. Qui chartas madefaciunt, aut madefactas torculari supponunt. Quia omnes hi imprimere dicuntur. Sicut omnes ad domus constructionem adjuvantes dicuntur construere. Et quamvis patronus non per se, sed per ministros imprimat: at verè dicitur imprimere. Cum ad ipsum tamquam ad magistrum, & dominum typographiæ totum negotium pertineat. Ita docent *Graffis prima parte decisionum*, *libro 4. cap. 18. numero 50. Sayro thesauro casuum*, *tomo 1. libro 3. cap. 5. num. 17. Hugolinus de censur. Papæ reservat. parte 2. cap. 1. verbo*, *Imprimentes*, *in initio*, *numero 1. & 2. §. 1. num. 1.* Insuper *Sayro* ait comprehendi facientes impressionis expensas. At id non credo, si nil aliud, quàm sumptus præstent. Quia non dicuntur imprimere. Præterea *Sayro*, *& Graffis* comprehendi correctores exemplaris impressi. Sed meliùs *Hugolinus eodem §. 1. ad finem*, id negat. Quòd impressores propriè non sint: sed ejus, quod impressum est, inspectores. Eum verò, qui librum imprimendum tradit, sive sit ejus auctor, sive, non, ait *Hugolinus eodem verbo*, *Imprimentes*, *in fine principii*, *& §. 1. n. 1. versic. Postremo*, comprehendi, quamvis in priori loco dicat id non sibi certum esse. Et ita credo eum comprehendi. Quia in communi loquendi modo dicitur verè imprimens. Tandem eos, qui vendunt his impressoribus literas æneas, chartas, atramentum, & reliqua ad imprimendum necessaria, constat minimè comprehendi. Quòd nec imprimere dicantur, nec ad impressionem proximè concurrant. Et ita docet *Hugolinus eodem §. 1. num. 2. ubi & n. 3.* benè addit hos omnes, quos à ratione impressorum excusavimus, posse alia via incidere in hanc excommunicationem. Ut si ministeria illa exhibeant, quo hæresi faveant. Tunc enim incurrent, non quasi imprimentes, sed quasi hæreticorum fautores.

58 Ultimò deducitur, incurrere quoque hanc censuram defendentes scienter, sive publicè, sive occultè prædictos hæretici libros, ex quavis causa, & quovis quæsito colore defendant. Sic enim expressè habetur in prima clausula Bullæ Cœnæ. Comprehenduntur autem, qui quovis modo, aut quavis ratione eos libros defendunt, ne ad manus Inquisitorum veniant: aut verbis eos defendunt, dicentes esse bonos, aut utiles, aut non comburendos. Sic *Toledo in summa*, *in Bulla Cœnæ*, *excommun. 1. num. 26. Sayro in thesauro casuum*, *tomo 1. libro 3. cap. 5. numero 18. Hugolinus de censuris Papæ reserv. 2. parte*, *capite 1. verbo*, *Ac eorum quomodolibet defendentes*, *num. 2.* Incideret quoque tamquam defendens, qui scriptis defenderet. Ut componendo apologiam, quo librum hæretici tueatur: esto id in suo cubiculo solus faciat: nec scripturam in publicum edat, sed apud se custodiat. Quia Bulla publicè, vel occultè defendentem excommunicat. Sic *Hugolinus eodem num. 2. vers. 3.* Ubi benè addit non incidere, qui solùm diceret hæc verba, non placente sibi hæresi: *Hic liber optimus est*. Quia hoc non est defensio. Insuper incurreret, qui solius disputationis gratia hos libros defenderet. Quia clausula Bullæ ait: *Quovis quæsito colore*, *& ingenio*. Ita *Vivaldus candelabro sacram. in penultima editione*, *2. parte in Bulla Cœnæ*, *excommun. 1. num. 11. Hugolinus in vers. citato*, *numero 3.* ubi benè quoque ait propter eadem generalia verba eum incurrere, etsi defendat ut inquirat rationes, quibus hæresis convincatur, ut dubitationes si quæ sint, tollantur. Non tamen incurreret dicens se velle defendere, si nondum defensionem aggressus est. Quia id nondum est defendere. Sicut dux ille arcem defendere dicitur, qui contra hostem armatus stat, etsi non pugnet. Atque facto ipso appellare dicitur, qui audita contra se sententia arripit iter ad Romanam curiam, *c. Dilecti*, 52. *de appell.* Ita *Hugolinus eodem verb. num. 4.* Tandem non incurreret, qui id quod catholicum est in eo libro, defenderet, non ut contentum in hæretici libro, sed quod in se verum, & catholicum sit. Quia hic nil mali agit, sed defendit veritatem, non habito respectu ad hæretici opus. Sic *Hugolinus eodem c. 1. verbo*, *Vel de religione*, *ad finem*. Imò idem credo, si ingenium auctoris, & stylum libri laudaret: non opus hæretici, nec ad defendendum ne comburatur, & exterminetur, sed secundùm se. Quia id non est hæretici librum defendere.

59 Tandem in ea prima bullæ cœnæ excommunicatione schismatici excommunicantur. De qua re agemus *hoc 2. l. in c. speciali de schismate*.

60 Id demum circa omnes hos casus comprehensos in prima excommunicatione bullæ cœnæ, & *toto hoc capite* explicatos, observandum est, ea verba posita in fine omnium, *Publicè*, *vel occultè*, referri ad omnes eos casus. Et ita *allegato Robusso* tradit *Suar. 5. to. in 3. p. disp. 21. sect. 2. n. 11. in fin.*

CAPUT XI.

Qualiter absolvere possit ab hæresi Episcopus virtute Tridentini decreti *sess. 42. de refor. c. 6.?*

SUMMARIUM.

Hæresis non tantùm quo ad censuram, sed quo ad peccatum reservatur: at ablata censura peccatum non manet reservatum, n. 1. Summa Th. Sanchez. Pars I.

Refertur decretum Trid. sess. 24. de reform. c. 6. n. 2.

An facultas absolvendi ab hæresi concessa in Tridentino Episcopis, competat Episcopis non habentibus diœcesim: vel habentibus diœcesim, in qua Tridentinum non est receptum, & an possit recipi, ad solos fautores, & satis sit Episcopum esse confirmatum, nondum consecratum? n. 3.

Quid, si Episcopus nondum Sacerdos sit? eodem n. 3.

An capitulum sede vacante possit virtute ejus decreti absolvere ab hæresi? n. 4.

Quid de Abbatibus, & aliis prælatis habentibus jurisdictionem Episcopalem? n. 5.

Quid de Archiepiscopo respectu subditorum suffraganei: aut ipsorum Episcoporum suffraganeorum, etsi nondum pallium receperit? num. 6.

Quid de prælatis regularibus respectu suorum regularium? n. 7.

An nomine subditorum comprehendantur in Tridentini decreto vagabundi, & qui duplex domicilium æquè habent tempore, quo etiam in altera diœcesi resident? n. 8.

Quid de peregrinis, scholasticis, & mercatoribus, an possint absolvi ab hæresi ab Episcopo diœcesis, in qua reperiuntur? n. 9.

An eadem subjectio satis sit, quo ad absolutiones, & dispensationes eo decreto contentas? eodem n. 9.

An religiosi possint absolvi ab Episcopo ab hæresi? n. 10.

Episcopi, & prælati habentes jurisdictionem, quasi Episcopalem, incidentes in hæresim, à quo possint absolvi? n. 11.

An potestas dispensandi concessa in eo decreto restringatur ad forum conscientiæ, & ut intra diœcesim exerceatur? n. 12.

An facultas absolvendi concedatur ibi Episcopis intra solam confessionem: vel quid sit in solo foro conscientiæ concedi? n. 13.

An possit Episcopus absolvere ab hæresi in absentia? n. 14.

An necesse sit tam Episcopum, quàm subditos esse intra diœcesim, ut possit Episcopus illos absolvere à casibus in eo decreto concessis? num. 15.

Quid, si Episcopus sit extra diœcesim, at subditi intra? n. 16.

Quid, si subditi sint extra, & Episcopus intra? n. 17.

Quid, si ambo extra? n. 18.

Quid intelligatur nomine delicti occulti in eo decreto? n. 19.

Quid, si delictum sit alibi publicum, ibi autem occultum? n. 20.

Quando dicatur delictum deductum ad forum contentiosum: & quid si falsis testibus reus absolvatur, vel si in alio loco sit deductum ad strum contentiosum, vel sint duo socii, & respectu unius tantùm sit deductum: vel jam in eo foro delictum est punitum? num. 21.

An absolutionem hæresis possit Episcopus delegare? Refertur opinio, num. 22.

Explicatur sententia Auctoris. Et an idem possint alii, quibus conceditur ea potestas absolvendi in eo decreto? n. 23.

Explicatur quot modis Episcopus possit hanc facultatem delegare? num. 24.

An facultatem dispensandi in eo decreto concessam possit Episcopus exercere per vicarium generaliter delegatum? n. 25.

An hæc facultas absolvendi ab hæresi, & casibus bullæ cœnæ, concessa Episcopis, sit revocata per bullam cœnæ? Refertur quædam sententia, num. 26.

Explicatur sententia Auctoris. Et an ea Tridentini concessio extendatur ad casus in posterum à Pontificibus reservandos? n. 27.

1 REvocandum est in memoriam, quod *capitul. 8. numer. 5.* diximus, nempè non solam hæresis excommunicationem reservari Pontifici, sed ipsum etiam peccatum, adeò ut absolutio ab hæresi, quamtumvis bona fide impensa sit irrita, & quo ad censuram, & quo ad peccatum, si ab eo impendatur, qui caret facultate absolvendi à censura excommunicationis illi annexa: at sublata excommunicatione per potentem absolvere, cessat quoque peccati reservatio, & similiter si quis per ignorantiam censuræ eam non incurrerit. Sunt autem quinque casus, in quibus potest esse specialis difficultas de facultate absolvendi hæretici externi in foro conscientiæ. Primus est, ratione facultatis concessæ Episcopis in *Trident. sess. 24. capit. 6. de reformat.* Secundus est, de facultate concessa Inquisitoribus. Tertius, de facultate concessa per bullam, aut jubilæum. Quartus de facultate concessa cuilibet confessori in articulo mortis. Ultimus, de facultate concessa ratione impedimenti adeundi Pontificis. De Primo quidem casu tractatur hic. De 2. & 3. tractatur *capite sequenti*. De 4. & 5. *in capite 13.*

2 Circa primum casum observandum est, *Tridentinum sess. 24. cap. 6. de reformat.* concessisse Episcopis facultatem duplicem, alteram dispensandi in quibuscumque casibus ex delicto occulto, nec deducto ad forum contentiosum provenientibus, excepto homicidio voluntario. Alteram verò absolvendi in foro conscientiæ subditos suos in sua diœcesi, à quibuscumque casibus occultis, nec deductis ad forum contentiosum: & hoc per se ipsos, vel per vicarios ad id specialiter deputandos. Et statim subdit hæc verba. *Idem*, *& in hæresis crimine in eo foro conscientiæ, eis tantùm, non eorum vicariis sit permissum*. Circa quam concessionem, quo ad præsens attinet, nonnullæ difficultates enodandæ sunt, quibus explicem, quid possit Episcopus circa absolutionem ab hæresi, stante eo decreto in suo vigore. Et ultima erit, an id decretum sit hodie revocatum.

3 Prima difficultas est. Qui nomine Episcopi, cui conceditur absolutio ab hæresi, & aliis reservatis in eo decreto, comprehendantur? Et quidem constat non satis esse

Episcopum esse consecratum, si diœcesi, ac subditis careat. Quales sunt Episcopi titulares, vulgo *de anillo*. Quia non conceditur hæc facultas Episcopo respectu omnium fidelium, sed respectu subditorum in propria diœcesi. Ut ex contextu constat. Et ita docet *Suarez 5. tomo in 3. p. disp. 41. sect. 2. num. 7.* Rursus, nec potest ea facultate uti Episcopus earum regionum, in quibus Tridentinum non est receptum, etsi subditos, & diœcesim habet. Quippe par debet esse favorum, & onerum ratio. Ubi ergo Tridentinum non recipitur, quo ad leges, & onera, acceptari nequit quo ad favores. Nec enim mens Concilii fuit aliter eos concedere. Ita *Suarez eadem disput. 41, sectione 2. num. 6.* dicens, sic decium esse in Congregatione Romana. At secus esse ego intelligerem, ubi circa aliquam specialem legem, vel onus, non est receptum: nil enim impediret, quo minus, quo ad favores, cum cæteris legibus, & oneribus recideretur. Qu a communis sententia in tractatus *de legibus* tuetur stare l g m quo ad partem esse receptam & quo ad partem non: atque quo ad solam partem receptam obligare. Insuper posset prædictum Tridentinum quo ad omnia alicubi receptum esse, ac obligandi vires sumpsisse: at postmodum decursu temporis abrogatum esse contraria consuetudine legitimè præscripta, quo ad leges, & onera, manente in robore pristino, quo ad favores. Quia cum semel jus acquisitum sit ad favores, nec consuetudo ampliùs, quàm id, de quo inducta est, abroget; non est cur consuetudine solùm inducta circa leges, & onera, & proinde illa abrogante, censeantur quoque favores abrogati. Præterea constat, quando Episcopus habet diœcesim, & in illa Tridentinum receptum, est satis esse Episcopum esse electum, & confirmatum, etsi nondum consecratus sit. Quod probavi *libro octavo, de matrimon. disputatione secunda, numero undecimo*. Et tenet *Suarez 4. tomo, in 3. p. disput. 30. sect. 2. n. 4.* Atque idem est dicendum, etsi Episcopus ille confirmatus nondum sacerdos sit. Quia (ut dicemus *numero 13.*) non exigitur ad hanc absolutionem confessio sacramentalis, quæ soli sacerdoti fieri potest, nec absolutio à peccato hæresis, aut alio reservato. Sed satis est absolutio ab excommunicatione, qua ablata potest quilibet confessarius à peccato absolvere. (Ut *numero primo* diximus.) At absolutio ab excommunicatione, etiam in solo conscientiæ foro, qualis in eo decreto conceditur Episcopis, potest impendi à non sacerdote. Ut probavi *lib. 8. de matrimon. disput. 34. num. 29.*

4 At difficultas est de Capitulo sede Episcopali vacante, & de Abbatibus, reliquisse prælatis habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem, & de Archiepiscopo respectu diœcesis suffraganei, & de prælatis regularibus respectu suorum subditorum. Et quidem aliqui negant comprehendi in eo decreto nomine Episcopi Capitulum sede vacante. Quos, & eorum rationes retuli *libro 8. de matrimon. disputatione 2. numero* 10. ubi & tenui comprehendi. At in casu hæresis est specialis difficultas. Quòd Tridentinum absolutionem hæresis ab Episcopo, per semetipsum, & non per vicarium impendendam decernat. Cum autem Capitulum ex multis Canonicis constet, ac in majori eorum parte consistat, non videtur, qua ratione possit per se ipsum absolvere: Item, quia videtur electa Episcopi industria. Cum ipsi soli, & per se ipsum exercenda concedatur hæc absolutio. Et ita *Suarez tomo 4. in 3. p. disp. 30. sect. 2. n. 4.* etsi concedat, quo ad reliquos casus comprehendi Capitulum nomine Episcopis, in eo decreto negat quo ad hæresim. Idem de hæresi tenent *Petrus de Ledesm. 2. tom. sum. tract. 1. c. 6. post. 20. concl. diffic. 5.* At mihi probabilius est comprehendi. Quia rationes, quas attuli dicta *disputatione 2. numer.* 10. id æquè in hæresi probant. Et Doctores, quos *ibi* retuli, generaliter loquuntur, & indistinctè de concessis in eo decreto. Nec obstant rationes contrariæ. Non enim eligitur industria personæ Episcopi. (Ut satis probavi *lib. 2. de matrimon. disputatione 40. numero 17. in solutione ad 2.*) Et si qua industria eligitur, est Episcopi, vel habentis jurisdictionem Episcopalem. Id enim nomine Episcopi intelligitur. (Ut probavi *libro 8. de matrimon. disputatione 2. numero 10.*) Potest autem Capitulum hanc absolutionem dupliciter exequi. Priori modo, committendo alicui specialiter ad casum hæresis delegato vices suas, ad absolvendum illum hæreticum, Quòd heri posse probabimus *numer. 25.* Posteriori modo, eo pacto, quo Capitulum cætera ab eo decreta exequitur, nimirum, quando suffragiis ab omnibus prælatis, præses capituli declarat nomine ejus, quod à majori parte gestum est. Sic ergo cum major pars hæreticum illum absolvendum decernit, præses nomine totius Capituli absolvet. Sicut quamvis potestas absolvendi hæretici in foro externo non sit penes quemlibet Inquisitorem, sed penes Tribunal: at ubi tribunal causa hæretici cognita decernit illum absolvendum, Inquisitor, qui præest, absolvit nomine tribunalis.

5 De Abbatibus, & aliis prælatis habentibus propriam diœcesim, & in ea jurisdictionem, quasi Episcopalem, secluso Episcopo: qui jam similiter eos comprehendi in eo decreto nomine Episcopi negant. Quia facultas hæc concessa Episcopis jure speciali, & intuitu personæ tanta dignitate possentis. Quare non est trahenda ad non Episcopos habentes solam eamdem jurisdictionem. Et ita tenent aliqui, quos retuli *libro 8. de matrimon. disputatione 2. numero 12.* Et *Suarez allegata quadam decisione Carainalium hoc decidentium tomo 4. in 3. p. disp. 30. sect. 2. n. 6. Aragon. 2. 2. q. 88. ar. 12. col. 7. concl. 4. fol. 1042. Petr. de Ledesm. 2. tomo summæ, tractatu 1. c. 6. post 20. conclusionem, diffic. 2.* Qui addit non esse improbabile contrarium. A mihi probabilius est prælatos hos comprehendi, etiam quo ad absolutionem ab hæresi, Ducor Auctoribus, & rationibus allegatis *ea disputatione 2. numero 22.* Et *Sayro in clavi regia, lib. 6. c. 11. numero 83. in fine, & Avila de censuris in p. 7. disp. 10. dubio 6.* ajunt his Abbatibus concedi omnia contenta in eo decreto. Et expresè in causa hæreseos docet *Manuel. 2. tomo sum. c. 10. nu. 6. conclus. 6.* Sequendo autem priorem opinionem, quæ satis probabilis est; ait *Petrus de Ledesma* subditos horum prælatorum pejoris conditionis fore, quàm subditos Episcoporum, Hi enim possunt à proprio Episcopo absolvi à casu hæresis, & aliis in eo decreto concessis. Illi autem à nullo: quia nulli Episcopo subduntur: nec suus prælatus potest. Sed meliùs *Suarez proximè allegatus*, ait semper territorium horum prælatorum contineri sub diœcesi alicujus Episcopi, respectuque ejus censeri subditos omnes ibi habitantes, quo ad casus concessos in hoc Tridentini decreto, etiamsi quo ad ordinariam jurisdictionem soli suo prælato subdantur. Idem docet *Avila de censuris 2. p. c. 7. disp. 1, dubio 11. vers. Ex dictis sequitur.*

6 Rursus de Archiepiscopo constat eum non habere jurisdictionem ordinariam in subditos suffraganei, sed in solos suæ diœcesis subditos. At cum suffraganei diœcesim visitat, potest subditos suffraganei absolvere ab hæresi, & casibus concessis Episcopo in eo decreto Trident. Quia tempore quo visitat, centetur illa diœcesis tamquam sua, & habet in ea jurisdictionem Episcopalem Episcopo superiorem. Ita *Suar. to. 4. in 3. p. disput. 40. sect. 2. n. 8. & 9. tom. disp. 41. sect. 2. n. 12.* Qui addit *in hoc num.* 12. hoc esse verum quo ad forum pœnitentiæ, & sic quo ad absolutionem à reservatis; secus autem quo ad dispensationem: ut in irregularitate. Quia dispensatio non ordinatur ad forum sacramentale. Sed an hoc sit verum dicemus *lib. 3. capite 38. numero 13. & 14.* Prædicta autem potestas intelligitur, quando Archiepiscopus jure sibi concedente diœcesim suffraganei visitat. Quod contingit, quando causa cognita, & probata est in Concilio Provinciali, ac plenè suam diœcesim visitavit. Ut deciditur in *Trid. sess. 24. de reform., c. 3.* Ita *Enrig. lib. 6. de pœnit. cap. 14. nu. 9. in textu, & in commento, litera Z.* An verò possit absolvere ab hæresi Episcopos ipsos sibi suffraganeos, tamquam proprius eorum pastor, dicemus *l. 4. c. 38. n. 15. & 16.* Et hæc potest nondum recepto pallio, ut dicemus *ibi n. 9.*

7 Tandem de prælatis regularibus, etiam conventualibus religionum exemptarum, videtur dicendum posse idem in suos subditos regulares. Quia habent in eos jurisdictionem quasi Episcopalem. Et quia Pius V. in quodam motu proprio concessit illis quidquid Episcopis conceditur in prædicto Tridentini decreto. Ut dixi *libro 8. de matrimonio disputatione 2. numero* 13. Et ita *Manuel. quæst. reg. tom. 1. quæst. 61. ar. 9.* tenet eam facultatem competere prælatis regularibus, non ex vi solius hujus privilegii: sed ex vi prædicti decreti Tridentini, atque ita vult in eo prælatos hos nomine Episcoporum comprehendi. Non tamen exprimit absolutionem ab hæresi. At verius est, prælatos regulares etiam suorum ordinum generales minimè comprehendi in eo Tridentini decreto nomine Episcoporum: & ita motum proprium Pii V. concessionem ejus decreti extendisse ad hos ex speciali privilegio. Quod optimè probat *Suarez 4. tom. in 3. par. disput. 30. sect. 2. num. 7.* ex ipsis motus proprii verbis. Nec enim declarat concessionem Tridentini ad hos prælatos extendi, sed ipse eam extendit. Ut constat ex illis verbis *Quia sacrum Concil. concessit Episcopis*, usque ad illa, *Auctoritate præsentium concedimus*. Et ratio est, quia ex tenore ejus decreti Tridentini constat, nomine Episcoporum non intelligi in eo qualitercumque habentes jurisdictionem quasi Episcopalem: sed solos eam habentes in aliqua diœcesi sibi subdita. Ut constat ex Trident. *eo cap. 6. ibi: Quæscumque sibi subditos in diœcesi sua*. At hi diœcesim non habent, Censeo tamen, neque etiam virtute privilegii dicti Pii V. posse prædictos prælatos regulares etiam sui ordinis generales absolvere regulares sibi subditos ab hæresi. Quod docent, etsi non meminerint hujus privilegii, sed ex vi Trident. loquantur, *Manuel 2. tom. sum. cap. 29. num. 4. & qu. reg. tom. 1. qu. 30. art. 10. Avila de censur. p. 7. disp. 10. dub. 6. notab. 3. Vega 2. tom. sum. cap. 125. casu 12. in fine*. Ducor, quod in ea Pii V. concessione non fiat specialis mentio hæresis. Nec obstat expresè concedi casus concessos Episcopis in *d. c. 6.* Trident. ubi specialis mentio hæresis fit. Quia in nulla generali concessione censetur hæresis absolutio comprehendi, nisi specialis ejus mentio fiat. Sicut dicemus *cap. sequent.* non posse hæresis absolutionem impendi virtute bullæ, aut jubilæi concedentium casus Bullæ Cœnæ: cum tamen in eis contineatur expresè hæresis.

8 Secunda difficultas est. Quid nomine subditorum in prædicto Trident. decreto comprehendantur. Et quidem vagabundos non est dubium comprehendi. Ut benè docet *Suarez 4. tom. in 3. par. disputat. 30. sect. 2. numer. 3.* Et ratio est, quia cum nullibi fixum domicilium habeant, subduntur Episcopo, in cujus diœcesi reperiuntur. (Ut latè probavi *libro tertio de matrimonio, disputatione 25. numero quarto* ubi *triplici numero præcedenti*, qui dicantur vagabundi explicui.) Similiter comprehenduntur habentes duplex domicilium ex æquo in duplici diœcesi: quia nimirum æquè in utraque habitant: ut in una in hyeme, in altera in æsta-

testate. Quippe hi potuerunt absolvi tamquam utriusvis Episcopis subditi ab utrovis illorum, etiam tempore quo in altera diœcesim habitant. Ut probavi *libro 3. de matrimonio, disputatione 24. n. 5.*

9 Sed difficultas est, de peregrinis, scholasticis, & mercatoribus propriam diœcesim habentibus, an possint absolvi ab hæresi, & aliis casibus in eo decreto concessis, ab Episcopo alienæ diœcesis, in qua tunc reperiuntur. Et existimo eos posse absolvi, etsi brevi in suam diœcesim redituri sunt: nec exigi ut in ea diœcesi majori anni parte sint moram tracturi, quod benè docet *Suarez 4. tomo in 3. par. disput. 30. sect. 2. num. 3. & 5. tom. disp. 41. sect. 2. num. 10. & 12.* Ducor, quia etsi ad dispensationes, tam in eo decreto, quàm in quocumque alio Episcopis concessas erga subditos, exigatur in dicendis habitatio, attì saltem animus habitandi majori parte anni in ea diœcesi. (Ut probavi *libro 3. de matrimonio, disputatione 23. numero 12. & sequent.*) Et ita de dispensationibus intelligendi sunt Doctores, quos *ibi numero 12. in fine* retuli, petens hanc habitationem ad casus in Tridentini decreto allegato concessos. At id non exigitur ad absolutionem hæresis, & cujuscumque casus reservati *ibi* concessam. Quia ex generali Ecclesiæ consuetudine, seu interpretativa propriorum prælatorum voluntate, quicumque extranei sunt, ut incolæ, & subditi Episcopi, in cujus diœcesi reperiuntur, quod attinet ad sacramenta confessionis, & Eucharistiæ recipienda. Et consequenter quod ad absolutionem ab excommunicatione, quæ ad hæc sacramenta præexigitur, & ad confessionem pertinet. Et ideò optimè advertit *Suarez ea disput. 41. sectione. 2. numer. 10. & 12.* eam restrictionem quo ad alios subditos, non esse positam in priori parte illius decreti Tridentini, in qua de dispensatione in irregularitate, & suspensione factus est sermo. Sed in posteriori sola, ubi de absolutione ab hæresi, & casibus reservatis tractatur. Quò distinctas subjectiones ad has jurisdictiones exercendas peti denotetur. Ad priorem aliquale domicilium: ad posteriorem verò esse tunc in ea diœcesi: ac proinde subjici illius Episcopo quo ad sacramenta confessionis, & communionis. Quod conforme esse Concilii verbis ostendemus, *num. 17. in fine.*

10 De Religiosis etiam exemptis est magna difficultas, an possint ex sui prælati licentia subjici Episcopis, ut absolvantur ab hæresi, & cum eis dispensetur in casibus, in quibus possunt Episcopi absolvere suos subditos, & cum eis dispensare virtute dicti decreti. Sed de hac quæstione latissimè agemus *libro 4. hujus tract. cap. 39. à numero 27. usque in finem*, ubi varias sententias referemus, & tuebimur posse, ac solvemus contraria fundamenta, probabimusque nostram. Et dicemus, an ipsemet prælatus regularis exemptus in prædictos casus incidens valeat se subjicere Episcopo quo ad hanc absolutionem, & dispensationem. Dicemus etiam *ibi*, quid dicendum sit, quando prælatus regularis petitam hanc facultatem à religioso denegat. Sed adhuc tenendo contrariam sententiam, nempe, non posse se subjicere ex prælati licentia, potest esse difficultas de monialibus ipsimet Episcopo subjectis. *Petrus de Ledesma 2. tomo Summæ tract. 1. capit. 6. post 20. conclus. dubio 4.* ait posse quempiam absque magna improbabilitate negare hanc facultatem Episcopo. Quia ea facultas Tridentini conceditur Episcopis, quatenus Episcopi sunt. At ut Episcopi non sunt prælati monialium, quæ ipsi specialiter subduntur, cum tamen profiteantur regulas religionum exemptarum, ut D. Francisci, &c. At jure optimo ait verius esse posse. Quia re vera eæ moniales sunt Episcopo subjectæ, nec decretum Tridentini est ita formaliter intelligendum, ut petat subjectionem Episcopo, quatenus Episcopus est.

11 Quòd si ipsemet Episcopus in hæresim occultam, aut in alios casus labatur, à quibus potest ipse suos subditos absolvere, aut cum eis dispensare, poterit eam facultatem suo confessario committere, ut eum absolvat, vel cum eo dispenset. Quod *lib. 8. de matrimonio, disputatione 3. numero 3.* latè probavi, etiam respectu casuum concessorum in prædicto Tridentini decreto. Et hoc, sive dicamus confessorem illum habere jurisdictionem ab ipso Episcopo delegatam. Quod *ibi* sustinui. Sive dicamus eam habere immediatè à Pontifice, ex vi juris communis. Quod tamquam probabile sustinet *Suarez dict. disputatione 41. sect. 2. numero 15.* Quia ex vi dicti decreti Tridentini reservatio ablata est ab eis casibus occultis, & ideò respectu Episcopi non reputantur ut casus reservati, sed ut comprehensi sub eligendi confessoris facultate sibi jure communi concessa. Et sic etiam in crimine hæresis sustinet *Suarez eodem numer. 15.* Quamvis dicat specialem in hoc crimine habere difficultatem: eò quòd in eo decreto non permittatur Episcopo committere alicui facultatem absolvendi ab hoc crimine. At semet absolvere nequit. At probabilius esse posse concludit. Quippe per id Tridentini decretum censetur Pontificia reservatio sublata. Quod satis est, ut censeatur commissa hæresi confessori per Episcopum electo, respectu ipsius Episcopi. Si id decretum Tridentin. revocatum non sit per *Bullam Cœnæ*. At hæc difficultas specialis in casu hæresis cessat, sustinendo (ut *numer. vigesimotertio* sustinebimus) posse Episcopum hæresis absolutionem committere alicui speciali delegato. Atque idem sentio de Abbatibus, & aliis prælatis habentibus diœcesim, & in ea jurisdictionem quasi Episcopalem: sustinendo (ut *numero 5.* sustinuimus) posse hos absolvere suos subditos ab hæresi. Poterunt tamen hi Abbates etiam subjicere se quo ad hoc Episcopo. Ut benè *Suarez eadem disputatione 41. sectione 2. numer. 12.* & posse eos quoque absolvi ab Archiepiscopo, cujus sunt suffraganei, dixi *numero sexto.*

12 Tertia difficultas est, quid intelligatur in eo Tridentini decreto, per ea verba: *In foro conscientiæ, & in diœcesi sua*. Et in primis id observandum est, neutram restrictionem appositam esse in priori parte, in qua conceditur dispensandi potestas in irregularitatibus, & suspensionibus. Quare ea facultas potest exerceri erga subditos suos ab Episcopo in absentia, & sive Episcopus, sive subditi, sive ambo sint extra diœcesim. Atque dispensatio pro utroque foro proderit. Quia Tridentinum absolutè, & absque prædictis limitationibus concedit. Atque jurisdictio voluntaria, ad quam dispensatio pertinet, potest extra territorium exerceri. (Ut probavi *libro 3. de matrimonio, disputatione 19. numero 8.*) Sed ea restrictio, *In foro conscientiæ, & in diœcesi sua*, est adhibita in sola posteriori parte, in qua Tridentinum concedit Episcopis facultatem absolvendi à reservatis. Sicut *numero nono in fine*, idem advertimus de particula, *Subditos*. Et hæc optimè advertit *Suarez 5. tomo in 3. parte, disputatione 41. sect. 2. numer. 10. & numer. 12. in fine*. Quare non ita cautè *Enriquez lib. 14. de irreg. cap. 20. numer. 5. Avila de censur. par. 7. disputat. 10. dub. 6. & Manuel. 2. tomo Summæ, cap. 69. numer. 1. in fine*, dixerunt Episcopum non posse dispensare in suspensione extra suam diœcesim, virtute illius decreti: non advertentes eam limitationem non apponi in priori illa parte. Atque similiter minùs cautè locutus est *Perez libro 8. ordin. titul. 4. liber. 3. fol. 99. paulò ante 3. partem tractatus hæresis* dicens eam dispensationem esse pro solo conscientiæ foro.

13 Est igitur difficultas, quid intelligatur per utramque particulam. Posset autem aliquis existimare per particulam, *in foro conscientiæ* intelligi, *audita confessione*. Idque posset probare ex iis, quæ in simili casu adduxi *libro 8. de matrimonio, disputatione 34. numero 8.* At dicendum est, non esse necessariam confessionem, ut Episcopus absolvat ab excommunicatione hæresis, & cæterorum casuum reservatorum, virtute illius decreti Tridentini. Sed id solùm importat ea particula, *in foro conscientiæ*, ut ea absolutio non prosit pro foro externo, si contingat hæreticum illum, aut alterius delicti reum ad judicium trahi. Quod latissimè probavi *ea disputatione 34. numero 29.* Et in terminis hujus decreti, & absolutionis ab hæresi, tradunt *Navarr. liber. 5. consil. in 1. editione tit. de sentent. excommun. consil. 15. quæst. 2. in 2. titul. de privileg. consil. 11. quæst. 2. Suarez 5. tomo in 3. par. disputat. 41. sect. 2. num. 11. Manuel. 1. tom. Summ. 2. edit. cap. 131. nu. 6. Petrus de Ledesm. 2. tom. Sum. tract. 1. cap. 6. post 20. conclus. diffic. 8.*

14 Imò potest Episcopus in absentia absolvere subditum à prædicta hæresis, aut cujusvis alterius reservata excommunicatione. Qua sublata potest quivis confessarius à peccato absolvere. (Ut *numero 1.* diximus. (Ratio est, quia absolutio ab excommunicatione potest in absentia impendi, ex omnium mente. Nec Tridentinum in eo decreto restrinxit, ut in præsentia concederetur. Et ita in propriis terminis excommunicationis hæresis, docent *Suarez, Manuel. Petrus de Ledesma, numero præcedenti allegati, Enriquez libro 6. de pœnitent. capite 14. num. 7. Idem, Manuel. questionum regular. tom. 1. quæst. 30. articulo decimo fine.*

15 Rursus de intellectu ejus particulæ, *In diœcesi sua*, est urgentius dubium. Potest autem quadrupliciter intelligi, Primò, ut desideretur Episcopum, & subditum esse intra diœcesim, ut possit Episcopus uti hac absolvendi facultate ab hæresi, & aliis reservatis. Secundo, ut sit necesse Episcopum esse intra diœcesim, ubicumque sit subditus. Tertio è contra, ut sit opus esse subditum intra diœcesim, ubicumque sit Episcopus. Ultimò, ut neutrum desideretur esse intra diœcesim. Et quidem non esse necesse, utrumque intra diœcesim existere, optimè ait *Suarez 5. tomo in 3. parte disputatione 41. section. 2. numero 11. in fine*. Quia neque ex vi verbi id significatur: nec oportet concessionem favorabilem restringere, plus quàm verba ejus cogant.

16 De Episcopo verò quidam eam intelligunt, dicuntque desiderari, ut intra diœcesim suam resideat, ut possit hac absolvendi facultate uti. Sicut nec extra suam diœcesim potest Pontificalia exercere. Et potest probari. Quia non videntur alio pacto posse intelligi ea verba, *in diœcesi sua*, non enim posse referri ad subditos, probavimus *numero sequenti*. Nec videtur posse sustineri expositio, quam tradit *Petrus de Ledesma statim allegandus*, nimirum, ut sensus sit, id est, ut possit Episcopus cum subditis suæ diœcesis, & non eum extraneis. Quia Tridentinum expresè petit hanc absolutionem solis subditis, & in propria diœcesi impendi. Et ita superflueret ea particula, *In sua diœcesi*. Cum tamen omnia verba in decretis contenta aliquid operari debeant, ita ut nec illa syllaba superfluat. (Ut probavi *libro 3. de matrimonio disputat. 26. numero 6.*) Et ideò hæc sententia valde probabilis est. Atque eam sustinent *Enrig. lib. 14. de irreg. cap. 20. num. 5. Manuel. 2. tom. Summ. cap. 69. num. 1. in fine*. At mihi probabilius est, id non esse necesse, & ita posse Episcopum extra suam diœcesim existentem hac facultate uti. Quod docent *Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 30. sect. 2. numer. 3. in fine, & tom. 5. disp. 41. sect. 2. num. 11. in fine,*

in fine, Petr. de Ledesm. 2. tom. Sum. tract. 1. capit. 6. post 20. concl. diffr. 1. Idque mihi perluadeo primò. Quod per verba tam ambigua, & commodè sanum sensum patientia, (quem *numero sequenti* tradam) non est credendum Tridentinum voluisse ita arctare facultatem Episcopi, ac omnia jura corrigere, quæ jurisdictionem voluntariam extra propriam diœcesim exerceri posse docent. Deinde, quia quando aliquid extra diœcesim fieri noluit, non verbis ita ambiguis, sed clarissimis explicuit. Ut *sess. 6. cap. 5. de reform. Nulli Episcopo liceat Pontificalia in alterius diœcesi exercere.* Et *sess. 23. capit. 1. de reformat.* volens, ut antiquior Episcopus in propria diœcesi existens ex suffraganeis, approbet caulas absentiæ Archiepiscopi, dixit: *Episcopo Antiquiori residenti*. Ubi ea particula, *residenti*, clarè demonstrat opus esse, ut intra propriam diœcesim existat. Non enim aliàs dicetur residens.

17 Alii intelligunt eam particulam, *In diœcesi sua*, de subditis, dicuntque exigi, ut subditi intra diœcesim existant, ubicumque sit Episcopus, quo eos possit ab hæresi, & casibus reservatis concessis in eo decreto absolvere. Et ita tenet *Suar. 5. to. in 3. p. disput. 41. sect. 2. numer. 10. & 11.* Et idem tenet, etsi non ita clarè 4. *tom. in 3. p. disput. 30. sect. 2. num. 3. in fine* Rationem autem ait non esse, quod absolutio excommunicationis petat absolvendi præsentiam; imò in absentia præstari poteit. Sed quia Tridentinum non concedit facultatem hanc, nisi erga subditos intra propriam diœcesim Episcopi existentes. Quod dicit Concilium fecisse ob majorem pacem, melioremque gubernationis ordinem, limitando prædictam facultatem, non tantùm quo ad personas subditas, sed etiam quo ad territoria, & loca. At hoc non placet: sed credo id posse Episcopum, etsi subditi extra diœcesim existant. Quod apertè sentire videtur *Petr. de Ledesm. num. praced. allег.* cum eam particulam, *In sua diœcesi*, explicet, idest, *erga subditos sua diœcesis*. Ducor, quia si Tridentini contextum attentè inspiciamus, potiùs ca particula, *In diœcesi sua*, videtur ad Episcopi personam referri, ut exigatur ipsum esse intra diœcesim, quàm personas subditas. Sic enim ait contextus: *Liceat Episcopis, &c. Quocumque sibi subditos, in diœcesi sua absolvere*. Ubi pondero in particula, *Subditos*, esse virgulam dividentem eam à particula, *In diœcesi sua*: quasi hæc illi non conjungatur. Item, quia ait, *in diœcesi sua*: at diœcesis propriùs dicitur Episcopi propria, quàm subditorum. Deinde, quia ratio congruentiæ, quam adducit *Suarez* potiùs suadet diœcesim referri ad Episcopum, quàm ad subditos. Quia ad majorem pacem, melioremque ordinem, potiùs spectat, ne Episcopus extra suam diœcesim existens hæc exerceat: quàm ne exerceat in sibi subditos extra diœcesim existentes. Si ergo dicimus non referri ad Episcopum, ne verbis tam ambiguis ejus potestas limitetur, & corrigantur jura voluntariam jurisdictionem extra diœcesim exerceri concedentia: similiter dicendum est, non referri ad subditos: ne potestas Episcopi in suos subditos coarctetur: & corrigantur jura, quæ ad exercendam jurisdictionem voluntariam in subditos, non attendunt locum, in quo ipse Episcopus, vel subditi sunt, sed jurisdictionem in personas. Quare legitimum sensum eorum verborum esse existimo: *Quoscumque sibi subditos, in diœcesi sua*. Ut nullatenus jurisdictionem Episcopi limitent: sed tantùm velint, ut Episcopus possit absolvere quoscumque sibi subditos, & quomodocumque sibi subdantur; nempe, vel quia sunt ordinarii subditi, utpote qui ibi domicilium habent, vel quia subduntur quo ad solum pœnitentiæ forum, eo quòd in sua diœcesi inveniuntur tamquam advenæ, & peregrini. Quod est conforme iis, quæ *num. 9.* diximus.

18 Hinc deducitur, posse Episcopum prædicta facultate uti, etsi tam ipse, quàm subditi sint extra diœcesim. Constat ex dictis *duplici n. precedenti*.

19 Quarta difficultas est. Quid in eo Trident. decreto intelligatur per delictum occultum, nec deductum ad forum contentiosum? Quidam dicunt occultam hæresim, ac delictum occultum dici, quando ita occulta sunt, ut in judicium deferri nequeant. Ita *Angles Floribus 1. p. ubi de confessione, q. 4. art. 5. diffic. 6. Gutier. quæst. canonic. lib. 1. cap. 13. num. 27. Manuel. addit. ad Bullam Cruciatam, §. 9. num. 69. in fine*. Quare dicunt *Gutier. & Manuel.* talia esse, quando per accidens occulta sunt: eò quod nullus interfuit testis, & sola delinquentis confessione manifestari possunt Ecclesiæ. At verius est, quod multis citatis diximus *lib. 8. de matrimon. disputatione 34. num. 65. & 56.* nempe, accipi delictum occultum, ut distinguitur contra publicum, & ita etsi ab aliquibus sciatur, & probari possit, dici occultum: ac tunc tantùm occultum, non esse: quando in ratione delicti est publicum: utpote quod in majori parte viciniæ, collegii, vel monasterii, vel parochiæ cognoscitur, dummodo saltem decem personæ inveniantur in ea vicinia, parochia, collegio, vel monasterio. Et in propriis hæresis occultæ terminis ita docet *Azor. tomo 1. lib. 8. instit. moral. cap. 10. quæst. 9.*

20 Quod si delictum sit alicui publicum, ibi verò ubi absolutio petitur, sit occultum: *Suarez tom. 4. in 3. par. disput. 30. sectione 2. num. 2. in fine*, ait non dici occultum: ac proinde facultatem Tridentini non extendi ad hoc delictum. Ducitur, quia quod alicubi publicum est, simpliciter est publicum, & non occultum: eò vel maximè, quòd moraliter ac regulariter loquendo, quod in aliquo loco publicum est, facilè ad alia loca defertur. At probabile credo, (quod scio viros doctissimos Salmanticæ consultos sensisse, quos refert, & sequitur *Avila de censuris par. 2. cap. 7. disputat. 1. dubio 11. conclusione 3.*) si delictum in loco ita distanti publicum sit, non sit spes fore, ut ad alium deferatur, dici occultum in eo loco, in quo absolutio, aut dispensatio petitur: ac proinde subjici facultati Episcopi in eo decreto sibi concessiæ. Quia (ut benè ajunt *Durand. 4. dist. 18. quæst. 5. in fine, & ibi Palud. quæst. 6. art. 1. num. 5.*) non ex hoc, quòd aliquis sit publicus excommunicatus in uno loco, censeri debet publicus in alio. Deinde, quia communis sententia docet non teneri restituere manifestantem publicum alicujus delictum: at quando in aliquo loco publicum est, non censeri publicum in alio ita distanti, ad quem non est spes fore, ut facilè fama perveniat. Alium casum ad hoc spectantem vide *cap. sequenti num. 9. in fine*.

21 Deductum autem ad forum contentiosum dicetur, quando in id forum deductum est, etsi unico teste probetur. Ut benè docet *Enriquez lib. 14. de irregul. cap. 7. num. 5. & Avila de censuris 2. par. cap. 7. disp. 1. dub. 11. conclus. 3. & par. 7. disput. 10. dub. 6. ad finem*. Nec refert, sive justè, sive injustè, res sit in judicium delata. Exigitur ut tamen, ut reo sit intimata delatio. Quòd si delinquens sit defectu plenæ probationis in foro externo absolutus, etsi falsis testibus defenderit se, sive definitivè absolutus sit, sive ab instantia, seu observatione judicii, non dicetur delictum ad forum externum delatum. Et docet *Avila in utroque loco*. Quæ latiùs probavi *lib. 8. de matrimon. disput. 34. num. 57. & 58.* Insuper si duo ejusdem criminis consortes sint, ac alter solùm ad judicium deferatur: delictum alterius Rei nondum delatum erit occultum, ac subdetur huic potestati Episcopi. Quia res inter alios acta aliis præjudicare nequit, quibus res judicata non nocet, *lib. 1. C. res inter alios acta*. Ita *Navarr. lib. 2. cons. in 2. editione, tit. de sentent. & re jud. cons. 2.* Tandem si in alio loco res sit ad forum contentiosum delata, dum in eo pendet, quocumque delinquens fugiat, nequibit Episcopus virtute hujus decreti illum absolvere, aut cum eo dispensare. Quod petat delictum non esse deductum ad forum contentiosum: at ubicumque deductum sit, dicitur simpliciter, & absolutè deductum. Sed quid si delictum deductum ad hoc forum, est jam judicio finitò punitum? *Gutier. liber. 1. quæst. can. cap. 3. ad fin. & Manuel. 1. tom. Summ. in 2. editione, cap. 168. in fine*, negant posse Episcopum. Quòd sit verè deductum ad forum exterius, nec Concilium distinguat. Item, quia Concilium dicit: *in dictis occultis*: at hoc est jam publicum. At meritò dixerunt posse quidam Theologi, quos tacito nomine refert *ibi Gutier.* & idem tenet *Avil. de censur. part. 7. disput. 10. dub. 7.* Et apertè videtur sentire *Enriquez lib. 14. de irreg. capitul. 7. numer. 5.* ubi dicens, nequire Episcopum in delicto deducto ad forum contentiosum, addit hæc verba: *Quamdiù manet deductum ad forum contentiosum*. Et sic refert *Avila ibi* se vidisse in casu simili sæpè observatum, nempe, absolvendo per Bullam ab excommunicatione deducta ad forum contentiosum, finito jam judicio. Nam intentum Concilii fuit conservare auctoritatem judici de delicto illo cognoscenti, & non concedere delicta publica, quò publicum scandalum caveatur. At in hoc eventu utrumque damnum cessat. Nil enim auctoritati judicis detrahitur, utpote qui jam functus est officio suo, delictum illud puniendo. Scandalum etiam publicum cessat punitione illa humiliter tolerata à delinquente. Per illam enim purgat delictum, & satisfacit Reipublicæ ex illo offensæ. Et ex his constat solutio utriusque rationis contrariæ.

22 Quinta difficultas est. An absolutionem ab hæresis censura possit Episcopus committere? Quidam negant posse etiam confessario ad id specialiter deputando. Quòd Tridentinum in eo decreto diserimen constituat inter cæteros casus Papæ reservatos, & hæresim: ut illos concedat Episcopo per se, aut per Vicarium ad id specialiter deputandum: hanc autem per se, & non per Vicarium. At si hanc posset Vicario specialiter deputato committere, nullum esset discrimen. Item ex *cap. ultim. §. finali, de offic. deleg.* ubi ministerium alicui commissum delegari non posse deciditur. Ita tradunt *Gutier. quæst. canon. liber. 1. cap. 13. num. 29. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 30. sectione 2. num. 9. & 15. Petr. de Ledesm. 2. to. Sum. tract. 1. cap. 6. post 20. concl. diffic. 6.* dicens esse hoc ferè certum.

23 At probabilius censeo posse committere absolutionem ab hæresi alicui specialiter ad eum hæresis casum deputato. At non posset generaliter alicui committere vices suas ad absolvendum ab hæresi. Quare id est discrimen constitutum in eo decreto inter hæresim, & cæteros casus Papæ reservatos: ut horum absolutionem possit committere, seu committendo vices suas circa casum specialiter oblatum: vel generaliter committendo vices suas alicui quo ad hoc speciale munus absolvendi ab his casibus. Nam utroque modo dicitur Vicarius ad hoc specialiter deputatus: prout requirit Tridentinum in eo decreto. Et fatetur etiam ipsemet *Suarez 4. tom. in 3. par. disput. 30. sect. 2. numer. 9. in fine* & latè probavi *liber. 2. de matrimon. disput. 40. num. 17.* At casum hæresis non potest posteriori modo delegare, sed solo priori. Ducor, quòd secluſa ea Tridentini limitatione posset Episcopus omnes casus sibi in eo decreto concessos delegare, sive generaliter, sive specialiter.

Ut be-

Ut benè tradit *Suar. 5. to. in 3. p. disput. 41. sect. 2. num. 8.* Hæc enim est natura jurisdictionis, ex principis privilegio competentis non personæ, sed dignitati, vel officio, qualis est hæc, ut non sit delegata, sed ordinaria, ac delegari possit. (Ut probavi *l. 2. de matr. disp. 40. num. 14.*) Ubi *num. 17.* probavi *c. ult. §. finali de offic. deleg.* quod contrarium suadere videtur, intelligi, quando nudum ministerium committitur personæ, & non dignitati in perpetuum. Dum ergo Tridentinum restringit ne facultas absolvendi ab hæresi occulta, quæ non personæ Episcopi conceditur, sed in perpetuum adnectitur dignitati ejus, & officio, delegari possit vicario specialiter deputato: ea restrictio accipienda est, ut quàm nimiùm fieri possit, jus commune corrigat. Atque proinde cum intelligi possit de solo Vicario specialiter deputato ad omnes hæresis casus non autem de specialiter deputato ad specialem oblatum hæresis casum, & sic optimè salvetur differentia in Tridentino tradita, hic intellectus eligendus est. Et ideò hanc sententiam tuentur *Navar. lib. 1. consil. in utraque editione tit. de cons. consil. 1. quæst. ult. nu. 89. & lib. 5. in 1. editione, tit. de sent. excomm. consil. 15. qu. 2. & 3. in 2. vero tit. de privilegiis, consil. 11. q. 2. & 3. Cordub. in Summ. q. 8. Azor. to. 1. l. 8. instit. moral. capit. 10. quæst. 11. Enriq. l. 6. de penit. capit. 14. numer. 7. in textu, & in commento, litera O. Emm. Sà in Sum. verb. Episcopus, num. trigesimo septimo, Vega secundo tomo Summ. capit. 125. casu 12. Man. in Bulla Cruciatæ, §. nono, num. 79. in fin. & addit. ad Bullam, §. nono, num. 69. & in Summ. tom. primo, in secunda edit. cap. 131. n. 5. & q. regular. to. 1. qu. 30. ar. 11.* Atque idem dicendum est de capitulo, Sede vacanti, & de aliis prælatis habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem, quos *num. 4. & 5.* diximus posse absolvere ab hæresi. Et idem dicendum est de Archiepiscopo respectu diœcesis suffraganeæ in casu, in quo diximus *num. 6.* posse eum absolvere ab hæresi. Quia militat eadem prorsus ratio. Cum ea potestas non personæ, sed officio competat in perpetuum. Et similiter competit officio Archiepiscopi visitantis in perpetuum.

24 Possent autem hi omnes dupliciter casum hæresis specialem confessario committere. Priori modo, plenè informati de casu, & arbitrantes pœnitentiam, & onus absolvendo imponendum. Posteriori modo, totum committendo confessario. Quippe utroque modo est verum dicere commissionem fieri Vicario specialiter delegato ad specialem casum. Quod solum petit in Tridentino probavi *n. precedenti*. Atque ita docent *Navar. lib. 5. consil. in 1. editione, tit. de sentent. excom. consil. 15. qu. 3. in 2. tit. de privileg. consil. 11. quæst. 3. Man. addit. ad Bullam Cruc. §. 9. num. 69. & 1. tom. Summæ 2. editione, cap. 131. n. 5. & qu. regular. tomo 1. quæstione 30. articulo 11.*

25 Est autem observandum eam limitationem, ut nequeat Episcopus absolvere à casibus Pontifici reservatis, per commissarium generaliter deputatum, non appositam esse in priori parte, ubi de dispensatione in irregularitate, & suspensionibus est sermo: sed in sola posteriori, in qua de absolutione à casibus reservatis agit. (Prout de aliis restrictionibus diximus *num. 9. in fine, & n. 12. in initio*.) Quare integrum erit eam dispensandi facultatem concessam exercere per quemcumque Vicarium generaliter delegatum. Et constat ex dictis *num. 20.* Et in hanc partem inclinat *Suarez 5. tomo in 3. par. disp. 41. sectione 2. numero 8.*

26 Ultima difficultas est. An hæc facultas concessa Episcopis in eo Tridentini decreto, sit per Bullam Cœnæ revocata quo ad absolutionem ab hæresi, & cæteris casibus Bullæ Cœnæ. Duplex est sententia. Prior sustinet revocatam esse: & ideò ab illis quamtumvis occultis non posse Episcopum absolvere. Ducitur, quia in ultima Bullæ Cœnæ clausula a tempore Pii V. expressè habetur, ut ab illis casibus nulla persona etiam Episcopali dignitate prædita absolvere possit prætextu cujuscumque facultatis, etiam per cujusvis Concilii decreta, in genere, vel in specie concessa. At non latuit Pontificem nullum aliud decretum, præterquam Trid. concedere hanc facultatem Episcopis. Nec abique mysterio addidit, *in genere, vel in specie*, sed ad significandum non solas universales facultates revocari: sed etiam ad speciales casus concessas. Secundò, quia etsi à tempore Sixti V. usque ad præsens Clementis VIII. addantur prædictæ clausulæ Bullæ Cœnæ hæc verba: *Nisi in eis facultatibus etiam casus præsentibus litteris expressi comprehendantur*. At casus Bullæ Cœnæ præter hæresim non expressè conceduntur in eo Tridentini decreto, sed per clausulam generalem concedentem omnes casus Pontifici reservatos. Et ideò aliqui negant posse Episcopum etiam stante in suo robore prædicto Tridentini decreto, absolvere à casibus reliquis Bullæ Cœnæ. Quos refert *Rutilius Benzonius n. sequenti allegand.* Tertiò, quia hanc esse Pontificum mentem declararunt Congregatio Cardinalium, Consistorium Sanctæ Generalis Inquisitionis: Imò ipsimet Pontifices. Quod testantur aliqui Doctores, ut mox referam. Tandem potest probari. Quia (ut refert *Suarez to. 4. in 3. p. disput. 30. sect. 2. num. 12.*) Congregatio Cardinalium consulta circa hoc Tridentini decretum, an locum habeat in casibus post illud in nova Sedis Apostolicæ constitutione reservatis, sic respondit: *Gregorius XIII. audita relatione Congregationis respondit non habere locum*. Cum ergo hæresis, & alii Bullæ Cœnæ casus reserventur in ea post id Tridentini decretum, non habebit in eis locum. Hanc sententiam sustinent *Navar. Summa Lat. noviori, c. 27. num. 275. ver. 14.* dicens, sic declarasse Pium V. & Gregorium XIII. *Penna in director. Inquisitor. 3. p. quæst. 92. comment. 141. vers. penult.* dicens, in supremo generalis Inquisitionis Prætorio Romano sæpe pronuntiatum esse, non posse jam Episcopos ab hæresi occulta absolvere. Sive, quia per Bullam Cœnæ sit Tridentino derogatum, sive quia Pius V. & Gregorius XIII. id declararint: *Majol. lib. 5. de irreg. c. 46. num. 6. vers. Caveant. Toledo in Summ. in Bulla Cœna, excomm. 14. in fine, Gutier. quæst. canon. lib. 1. in priori editione, cap. 13. in fine, Felician. in suo Enchiridio de excommun. capit. 18. Paul. Fusc. in tract. de visitatione, lib. 2. capit. 31. num.* 5. dicens sic declarasse Gregorium XIII. & *cap. 23. num. 4. Bartholem. ab Angelo in suo examine confessorum, dialogo 5. §. 554. Antonius in sua catechesi, lib. 1. cap. 26. adnotatione 9. & lib. 3. capit. 2. Azor. tom. 1. lib. 8. instit. moral. capit. 19. quæst. 3. & cap. 10. quæst.* 10. ubi etiam ait se audivisse à religioso docto, & fide digno, sic declarasse Clementem VIII. *Suarez tomo 4. in 3. p. disput. 30. sect. 2. num.* 11. dicens, sic declarasse Cardinalium Congregationem. Et *tom. 5. disputat. 21. sect. 3. numer. 5. Vivald.* recantans palinodiam *in candelabro Sacramentorum, in editione novisori anni 1602. 1. p. tit. 11. de absolutione Sacramentali, numa. 13. Paramus de origine Inquisitionis, lib. 3. quæst. 9. num. 191. Molina tom. 4. de justitia, disputat. 64. num. 8. Hugolinus de casibus Pontifici reservatis, in 2. p. cap. 2. §. 4. super versic. Etiam prætextu quarumcumque facultatum, numer. 3. Philiarcus de officio sacerdotis, tom. 1. par. 2. lib. 2. cap. 25. paulò post principium. Et l. 4. cap. 22. paulò post principium*. Et quamvis non omnes hi Auctores loquantur de casibus aliis Bullæ Cœnæ, sed de sola hæresi. At in omnibus casibus militat eadem ratio. Quia clausula Bullæ Cœnæ revocans facultates à Concilio generali concessas, loquitur de omnibus Cœnæ casibus. Atque ita de omnibus illis idem tenent *Felicianus, Hugel. Vivaldus ibid. & idem Philiarcus utroque loco proximè alleg. Et Molina ibidem*.

27 Posterior sententia sustinet eam facultatem non esse revocatam: & ita posse hodie Episcopos absolvere ab hæresi occulta, ac cæteris casibus Bullæ Cœnæ. Ducitur primò. Quia lex posterior generaliter, & indistinctè loquens, limitanda est per specialem antiquiorem, si expressis verbis illi non contradicat: quamvis in lege nova sit clausula, *Non obstante lege contraria*, quæ non posset cum hac sustineri per aliquam limitationem, vel distinctionem. (Ut multis citatis probavi *libro secundo, de matrimonio, disputatione vigesimæ quartæ, numero sexto*.) Et hoc, ut jurium correctio vitetur. Cum ergo clausula Bullæ Cœnæ reservans eorum casuum absolutionem, revocansque facultates absolvendi priùs concessas, possit intelligi per aliquam limitationem, ut non contradicat legi priori Tridentini: nempe intelligendo revocari facultates, quæ concedunt absolutionem eorum casuum, quando publici sunt, sic intelligenda est. Nec obstat dici in prædicta Cœnæ clausula: *Etiamsi casus hi in genere, vel in specie in prædictis facultatibus concedantur*. Quia adhuc potest intelligi de casibus Bullæ Cœnæ non occultis, sive concedantur in genere, sive in specie. Atque ita firmum manebit decretum Tridentini, quod eos casus non concedit, quando publici sunt, sed tantùm, quando occulti. Et confirmari potest intellectus hic ex motu proprio Sixti V. ubi revocans facultatem absolvendi à casibus *ibi* contentis iniquæ susceptionis ordinum concessam Episcopis per Trid. subdit hæc verba: *Etiamsi crimen penitus occultum fuerit*. Quasi insinuans revocationem facultatum generalem non extendi ad casus occultos: cum tamen expresserit *ibi* de concessis, à Tridentino facultatibus eam revocationem esse. Ergo à fortiori revocatio Bullæ Cœnæ generalis facultatum à Concilio generali concessarum, non facta mentione Tridentini, nec casuum occultorum ad hos non erit trahenda. 2. Quia esto tunc temporis, quando ea clausula in Bulla Cœnæ tam generaliter continebatur, dicendum esset revocari hanc Tridentini facultatem. At jam à tempore Sixti V. videtur contrarium dicendum: ob clausulam novè additam, restringentem prioris verba: *Nisi in eis etiam casus præsentibus litteris expressi comprehendantur*. At clarè Tridentinum in prædicta facultate comprehendit casus Cœnæ, dum hæresim exprimit, in qua concedenda est multò major difficultas, quàm in aliis. Alioquin in id apertum absurdum incideremus, ut dicendum esset, eam facultatem non revocari quo ad hæresim, benè tamen quo ad alios Cœnæ casus. Et confirmatur, quia ratione hujus clausulæ non censetur revocata facultas Bullæ Cruciatæ concedentis eximibet confessori posse absolvere semel in vita, & semel in mortis articulo, à casibus Bullæ Cœnæ. Ergo id à fortiori censendum est de concessione facta per Tridentinum tam maturo consilio Episcopis. Tertiò, quia authenticè non constat de ea Pontificum declaratione, & cum res adeò gravis sit id Tridentini decretum revocare: & jamdiu scientibus Pontificibus novas Bullas Cœnæ edentibus controversa, id profectò ampliùs, vel in eadem Bulla Cœnæ novè edita, vel in aliquo motu proprio authenticè declarassent. Quod tantum abest, ut fecerint, quin potiùs à tempore Sixti V. addita est clausula ferè apertè contrariam Pontificum intentionem declarans. Cum tamen Sixtus V. volens in motu proprio nuper citato, & in alio de aborsibus, prædictam Tridentini revocare facultatem, id expressis verbis dixerit. Et confirmatur, quia esto de ea Pii V. Gregor. XIII. declaratione constaret, nil probaretur. Quia declararunt eam mentem fuisse in suis Bullis Cœnæ, quæ jam expirarunt. Et non mirum, si eæ revocarint, atque ita intellectæ sint: utpote quæ indistinctè, & generaliter revocabant

omnes

omnes facultates virtute cujusvis generalis Concilii concessas. At a tempore Sixti V. usque nunc additus clausula eam generalitatem restringens. Quæ planè non revocat facultatem Tridentini. Tandem quia non obstat declaratio Gregorii XIII. *n. praced.* relata, quæ ait prædictam Tridentini facultatem non extendi ad casus in posterum à Pontificibus reservandos. Namque benè explicat *Suar. 4. tom. in 3. p. disp. 30. sect. 2. num. 13. & 14.* intelligi, quando nova reservatio fieret clausula sufficienter exprimente, per eam revocari prædictam Tridentini facultatem. Et ideò pro hac sententia sunt multi Neoterici dicentes posse Episcopum absolvere ab hæresi occulta, virtute prædicti decreti. Quod non dicerent, si id revocatum esse intelligerent. Hi sunt *Navar. lib. 1. consil. tit. de censit. in utraque editione, de Cathol. institut. titul. 3. numer. 6. Zaval. in communibus opinion. tom. 3. quæstione 802. numero 65. Vela de pœnis delictorum, cap. 14. vers. Jure verò canonico, Cordub. Summ. q. 8. punct. 1. Palacios 3. disp. 25. disput. 7. fol. 301. Angles Floribus 1. part. ubi de confessione, quæst. 4. artic. 5. difficultate 6. Campegius addit. ad Zanchin. de hæreticis, cap. 34. vers. Cum itaque, Bartholem. à Ledesma, Summa Sacram. ubi de excomm. dub. 13. col. penult. Lamas in methodo curationis, 3. p. c. 1. §. ultim. in fin. Catanens in Sum. verb. Episcopus, §. Episcopi, quos Spiritus Sanctus, casu 10. Antonius Gomez in Bulla Cruciatæ, clausula 10. num. quadragesimoquarto in fine.* Atque in propriis terminis eam facultatem absolvendi non esse revocatam sed hodie consistere, tradunt *Navarr. Summa Latina noviori, cap. 27. nu. 260. in fine. Et lib. 5. consil. in 1. editione, titul. de sententi. excommunic. consil. 15. qu. 1. & in 2. titul. de privilegiis, consil. 11. quæst. 1. Gutier. quæst. canon. in posteriori editione, libro 1. c. 13. ad fin.* & referens plurimos de hac re consultos *Enriquez l. 6. de pœnit. c. 13. num. 7. Bannez 2. 2. qu. 11. ar. 4. dub. 2. post 2. concl. argumento 3. vers. Et si quis obiciat, Et ibi Aragon. ar. 3. eolum. 10. versic. Sed dubium est quisnam possit, Emmanuel Sà Summa, verbo Episcopus, num. 37. Vivald. candelabro Sacram. in penultima editione, in p. 1. tractatu de absolutione, num. 13. & 2. patte in expositione Bullæ Cœnæ, numer. 141. Manuel. in Bull. Cruc. §. 9. num. 70. & in Summa, tomo 1. in 2. editione, c. 131. n. 3. & q. regular. tom. 1. q. 20. art. 10. Petrus de Ledesma 2. tomo Summæ, tractatu 1. cap. 6. post 20. conclus. diffic. 7. Vega 2. tomo Summæ, capit. 125. casu 11.* Et hanc fateur esse probabilem *Suarez 5. tom. in 3. p. disp. 21. sect. 3. n. 5.* Et in hanc multò magis inclinat *Rutilius Benzonius tract. de fuga, lib. 1. disp. 1. qu. 6. paulò ante ultimam conclusionem*, Quamvis addat rem ad Pontificem deferendam, ut suam mentem declaret. Fateor rem esse valde dubiam, & utrimque urgere rationes, & auctoritatem gravium Doctorum, quæ utramque partem probabilissimam reddere videntur. At tenenda est omnino prior sententia, quam Doctores non pœnitendi à Pontifice declaratam testantur: & supremæ Inquisitionis tribunal amplecti jubet: nec in re tam gravi amplectenda est sententia posterior valde dubia, & parum tuta.

CAPUT XII.

De facultate Inquisitorum absolvendi ab hæresi: ac Confessorum virtute Bullæ, aut Jubilæi.

SUMMARIUM.

An inquisitores possint absolvere in solo foro conscientia ab hæresi, & ea potestas sit in tribunali: an in singulis? Refertur quædam sententia, num. 1. & 2.

Exponitur sententia Auctoris circa utrumque, num. 3. & 4.

An id possit Inquisitor nondum sacerdos? eodem n. 4.

An possint Inquisitores delegare hanc facultatem confessori? numero 5.

An possint delegare facultatem absolvendi in foro externo? num. 6.

An hæreticus absolutus in foro conscientia ab Episcopo, Inquisitoribus, aut Pontifice, evadat pœnas, si accusetur? num. 7.

An absolutio hæretici à quocumque habente potestatem impensa, valida sit quo ad censuram, si is sciè convertatur? n. 8.

Quid, si verè fassus sit, & conversus, sed hæreses aliquas tacuit? num. 9.

An virtute Bullæ, aut Jubilei concedentis omnes casus Bullæ Cœnæ, nec exprimentis hæresim, possit hæreticus absolvi? n. 10.

Quid de fautoribus, receptatoribus, defensoribus hæreticorum, tenentibus, legentibus, imprimentibus eorum libros? Refertur quædam sententia, n. 11.

Sententia Auctoris, num. 12.

An sub concessione generali casuum Papæ reservatorum veniat casus Bullæ Cœnæ? n. 13.

1 NOn dubitatur de facultate Inquisitorum absolvendi ab hæresi in utroque foro, causa cognita. Quia manifestum est eos illam habere. At de facultate absolvendi in solo conscientiæ foro est difficultas, quando hæreticus est occultus, nec coram ipsis delatus, sed secretò confitetur illis suam hæresim. Aliqui sentiunt posse Inquisitores absolvere in foro conscientiæ. Et potest probari ex *constitutione Clementis VII. incipiente, Cum sicut, vers. Vobis etiam*, quam refert *Penna in directorio Inquisitorum, in fine*, inter Bullas Apostolicas pro officio Inquisitionis, ubi hæc potestas concediturInquisitoribus, & eorum Commissariis: præcedenti tamen hæresis abjuratione, id est, ut hæreticus promittat sore, ut in posterum ab hujusmodi hæresi abstineat. Quæ constitutio expresè in foro conscientiæ videtur loqui. Nam ad absolvendum in foro externo, non est opus, ut is hæreticus occultus sit, nec ad forum externum delatus. Quod petit ea constitutio, ut Inquisitoribus integrum sit uti ea facultate. Atque ita eam constitutionem intelligit *Campegius add. ad cap. 34. Zanchini de hæret. vers. Cum itaque*, & cum referens, & sequens *Manuel. in Bulla Cruciatæ, §. 9. numer. 70. in fine*, Idem tenent non relata hac constitutione *Toledo lib. 4. Summæ, cap. 4. numer. 5. Gutierez quæstion. canon. lib. 1. cap. 13. num. 7. Faramus tractatu de origine Inquisitionis, lib. 3. quæst. 9. numer. 190. & Bannez 2. 2. quæst. 11. art. 4. dubio 2. post 3. argumentum contra 2. conclusionem, versicul. Præterea advertendum, Enriquez libro 6. de pœnitent. cap. 7. num. 3. in fine, Graffis 1. parte decisionum, libro 2. cap. 9. numero 5.* Idem supponere videtur *Simancas de Cathol. instit. titul. 3. numero 5.* ubi tantùm dubitat, an Inquisitores possint confessori delegare facultatem absolvendi hæretici occulti: quasi supponens ipsosmet Inquisitores posse. Et supponere etiam videntur *idem Simancas ibi numer. 3. Gutier. quæst. canon. lib. 1. cap. 1. num. 59. Azor. tomo 1. libro octavo, institutionum moralium, cap. 19. quæstione 5.* ubi tradunt constitutum in mortis articulo posse absolvi à quolibet sacerdote, si non sit accessus ad Episcopum, aut Inquisitores. Idem videtur tenere *Eymericus in directorio Inquisitorum, tertia parte, num. 61.* ubi ait hæreticum omninò occultum esse ab Inquisitore absolvendum secreto, nec judicialem confessionem recipiendam esse. Dico autem hoc videri tenere. Quia hoc ex ejus verbis non constat. Nam de hæretico purè mentali videtur loqui, fortè eam opinionem sequens jurisperitorum multorum, quæ excommunicationem incurrere docet. (Ut retuli *in hoc lib. c. 8. n. 1.*)

2 Quidam autem ex his Doctoribus dicunt hanc facultatem non concedi cuilibet Inquisitori, sed toti Consistorio. Quia Inquisitorum jurisdictio non in quolibet Inquisitore, sed in toto consessu est. Et potest probari ex *dicta constitutione Clementis* VII. ubi non cum quolibet Inquisitore loquitur, dicens, *Vobis*, &c. Ita *Enriquez libro sexto, de pœnitent. capit. 7. numer. 3. in commento, litera* T. *Et Vivaldus candalabro Sacramentorum, in noviori editione anni 1602. 1. part. titul. 11. de absolut. sacrament. num. 15. Simancas in Enchiridio judicum, cap. 51.* ait non posse unum Inquisitorem absolvere absque sociorum consensu, aut praxim esse in oppositum. Et apertè loquitur de absolutione in foro conscientiæ. At falsò allegatur *Simancas ibi*: nil enim dicit.

3 At fateor multos esse Doctores asserentes hanc facultatem habere Inquisitores, & ideò auctoritate compulsus cogor dicere id esse probabile. At multò probabilius mihi est, non posse. Quia cum judices in solo foro externo constituti sint, ut optimè docet *Eymericus in directorio Inquisitorum 3. par. numer. 59.* non videntur hanc potestatem pro solo conscientiæ foro habere. Nec apparet Pontificia aliqua constitutio hoc eis concedens. Quippe prædictam constitutionem Clem. VII. ait *Penna tertia parte directorii Inquisitorum, commento duodecimo, additione ad num. sexagesimum primum*, intelligi de absolutione in foro externo, facta confessione coram notario, & secuta reconciliatione. Et *Suarez, quinto tomo, in tertia parte, disputatione quadragesima tertia, sectione prima, numero quinto*, ait illam concessionem fuisse personalem, & non perpetuam, quantum ex ejus tenore colligi potest. Et ego addo non omnibus Inquisitoribus concessam esse, sed solis ex Ordine Prædicatorum in universa Italia constitutis, & constituendis. Et *Covar. regul. Peccatum, 2. p. in init. numer. 7.* qui solet allegari pro contraria sententia, potiùs videtur favere huic. Quippe ait hæreticum occultum per accidens, secretò fatentem Inquisitori crimen suum, esse ab eodem absolvendum secretò in tribunali, & abjurata secretò hæresi. Ubi ea particula, *in tribunali*, denotat eum de absolutione in foro externo loqui.

4 Quod si sequamur priorem opinionem dicentem hanc facultatem inquisitoribus competere: existimo probabilius esse eam competere cuilibet inquisitori. Ducor, quia prædicta constitutio Clementis VII. non solis inquisitoribus, sed eorum quoque commissariis eam facultatem concedit. At commissarii nullum habent consistorium, sed in quolibet districtu unus est commissarius. Non ergo soli consistorio, sed cuilibet inquisitori voluit Pontifex hanc facultatem concedere, Alias plus concederet commissariis. Deinde quia hæc est natura fori conscientiæ, ut secretò, & absque testibus in eo permissa exercenda sint. Non ergo hæreticus occultus in foro conscientiæ absolvendus, cogendus est toti consistorio se præsentare. Eò vel maximè, quòd ea facultas concessa videatur in favorem animarum, ne hæretici occulti ad fidem redeuntes remedio facili destituti sint. Quippe difficillimum remedium esset, crimen suum occultum coram toto tribunali detegere. Et huic sententiæ favent *Gutier. & Graffis num. primo, allegati*, dum in singulari ajunt, hunc hæreticum secretò fassurum inquisitori, & ab eo absolvendum. Et *Vivaldus numero secundo, in fine relatus* ait praxim sic habere. Et eadem sententia retenta, credo inquisitorem non sacerdotem posse in foro conscientiæ absolvere ab hæresi excommunicatione. Sicut *capite præcedenti numero 3.* dixi de Episcopo. Quòd hæc facultas non concedatur inquisitori in ordine ad confessionem sacramentalem, nec tamquam quid annexum ordini, sed officio.

5 Rur-

5 Rursus, retenta eadem opinione est dubium, an inquisitores possint delegare hanc facultatem absolvendi hæretici in foro conscientiæ. *Enriquez num. secundo, allegatus* ait totum inquisitorum consistorium posse, nisi ei id à supremo inquisitore interdictum sit: non autem quemlibet inquisitorem posse. Sicut similiter ait, non quemlibet inquisitorem posse absolvere, sed totum consistorium. At *Simancas de cathol. instit. tit. 3. num. 5.* dicit maximè dubium esse, ut inquisitores possint eam facultatem delegare. Et *Campeg. n. 1. allegatus* ait eos non posse. Ducitur autem quia constitutio Clemen. VII. citata *n. 1.* solùm concedit eis, ut delegent commissariis Sancti Officii. At hoc fundamentum debile est. Quia ea constitutio non committit eis, ut delegent commissariis, sed ipsismet commissariis eam facultatem indulget. At potest fortiùs probari. Quia hanc facultatem habent inquisitores, non ut constituunt tribunal: sed instar privati confessarii. (Ut *numero precedenti* dixi.) At privatus confessarius nequit facultatem absolvendi sibi commissam delegare. At existimo posse quemlibet confessario delegare, & non solùm tribunal, Quia non committitur cuilibet inquisitori, instar confessarii privati, cui nudum ministerium committitur: sed ea facultas est perpetuò annexa inquisitoris officio. In quo casu est delegabilis. (Ut probavi *lib. 2. de matrim. disput. 40. num. 17.*)

6 Similiter postquam inquisitorum tribunal juridicè de causa hæretici novit, nec ei pœnitentiam imponendam judicat: ut solet fieri cum apostatis à Christianismo, qui sua sponte secta Mahumetana relicta, ad fidem redeuntes, se illis præstant, possunt committere confessori: ad quem illos remittere solent, ut audita confessione illos absolvat. Quæ potestas non est in quolibet Inquisitore, sed in tribunali. Quia ea absolutio est pro utroque foro. Et hoc approbare videtur *Bannez n. 1. allegatus*. Et ratio est, quia *Clem. 1. de hæret.* dicitur, inquisitores posse vices suas delegare. Et reddit rationem *Menochius de arbit. lib. 1. q. 54. num. 41.* Quia sunt delegati ad universitatem causarum.

7 Sed an hæreticus absolutus in foro conscientiæ ab Episcopo, Inquisitoribus, vel ipso Pontifice, evadat pœnas, si postmodum in foro externo accusetur? Affirmant multi, quos refert *Aviles cap. 25. prætorum glossa, La pragmatica, nu. 10.* Et alii, quos refert *ibi n. 18.* hoc tenent, quando pœnitentia est publica. Sed contrarium prorsus dicendum est. Quia pœnitentia pro foro interno imposita tendit ad alium finem, nempe, ut per illam pœnitens satisfaciat Deo, & ipsi reconcilietur. At pœna fori externi spectat ad vindictam publicam, & reipublicæ satisfactionem. Ita tenent *Glossa c. Gaudemus, verb. Poterit, de divort. Abbas, Paulus, & multi alii*, quos referunt, & sequuntur *Antonius Gomez. tomo tertio, variarum capit. primo, numero quadragesimo. Aviles dicto numero decimo, Penna* vocans oppositam sententiam erroneam, *in directorio inquisitorum secunda par. commentario vigesimoquinto vers. Rursus altera quæstio*. Quod verum habet, etsi pœnitentia in foro interno imposita sit publica. Ut *aliis relatis* docet *Anton. Gomez. eo numero 40. Aviles numer. 18. Penna eo commentar. 25. vers. Brevi ergo.*

8 Rursus dubitari potest, an absolutio excommunicationis ab inquisitoribus impensa in utroque foro, valida sit, quando hæreticus fictè convertitur, ita ut postea resipiscens non indigeat nova absolutione hæresis illius deductæ ad forum contentiosum. Sed si hæresim iterum non manifestet, possit deinceps absolvi à quolibet confessore. Si autem manifestet exteriùs, occultè tamen, reputetur quo ad absolutionem tamquam hæreticus occultus, utpote qui ab hæresi priori publica, ac deducta ad forum exterius, est validè absolutus? *Emmanuel Sà Summa, verbo Hæresis, numero 2.* ait absolutionem valere. Et potest probari, quia multi censent absolutionem ab excommunicatione obtentam ex falsa causa validam esse. Ut potest videri apud *Covar. c. Alma mater, 1. part. §. 11. num. 14.* At dicendum est, non esse validam. Quia aut hic externo aliquo signo pertinaciam illam manifestat, & perseverantiam in hæresi: & tunc cum eadem excommunicatio ipso jure incurratur ob illam hæresim continuatam, non potest tolli per illam absolutionem. Aut ea pertinacia non manifestatur signo aliquo externo: & sic ob illam nequit nova incurri excommunicatio. Et tunc posset habere locum opinio dicta. At etiam in hoc casu dicendum est absolutionem esse irritam. Quia absolutio ex falsa causa obtenta tunc tantùm est valida, quando falsa causa judicem minimè movet ad impendendam absolutionem. Utpote qui veritate cognita similiter impenderet. Secùs quando nullatenus impenderet. Ut cum aliis tradunt *Enriquez, libr. decimoterrio de excommun. capitol. trnteesimo numer. tertio & quarto Sayr. Thesauro casuum, tomo primo libr. secundo capit. 21. numer. 26.* & 27. Cum enim absolutionis valor ex absolventis intentione pendeat, & error involuntariam absolutionem efficiat, quoties cognita veritate eam non concederet, ea absolutio ex defectu intentionis absolventis erit irrita. At hæc absolutio obtinetur ex falsa causa, nempe, ex ficta conversione, quia cognita non posset ille ad Ecclesiæ gremium admitti. Et ita in propriis terminis docet optimè *Suarez tomo 5. in 3. par. disp. 7. sect. 7. n. 12.* dicens, hanc hæretici fictè penitentis absolutionem, etiam per Inquisitores concessam, esse irritam, ita ut licèt ille postea interiùs resipiscat, peccatum hæresis priùs commissum, eadem censura, & eadem reservatione ligatum manebit, ac erat ante illam absolutionem, Quare eadem ratione idem dicendum erit, etsi ea absolutio ab ipso Pontifice, vel ex ejus commissione à quovis alio concederetur Vide dicenda *n. seq. in fine.*

9 Sed quid si hic hæreticus verè ad fidem rediens, est fassus in foro externo aliquas hæreses coram Inquisitoribus, & alias tacuit, & sententia lata absolutus est ab excommunicatione, ut fieri solet? *Avila de censuris, p. 2. cap. 6. disput. 2. dubio 3. ad finem*, ait hunc manere excommunicatum: & nil ampliùs explicat. Sed dicendum est manere eum absolutum ab excommunicatione hæresum expressarum: at ratione aliarum manere excommunicatum: ac proinde peccatum hæresum tacitarum manere reservatum, utpote censura pristina affectum. Quia quoties quis excommunicatus est ob plures causas, & una sola explicatur, non valet absolutio, nisi quo ad solam causam expressam. Ut traditur in tractatu *de excommunicatione*. Et optimè docent, & probant referendo alios, *Hugolinus de censuris, tabula 1. cap. decimo nono §. tertio, num. decimo, & §. quarto, n. 4. & Sayr. de censuris, lib. 2. cap. vigesimo primo, n. 23. & 24.* Quod tamen intelligendum est, nisi bona fide eas hæreses tacuerit, illarum, nempe, immemor, tunc enim manebit absolutus omninò à censura. Quod de aliis causis excommunicationis bona fide tacitis tradit in genere alios allegans *Sayr. ibidem*. Hæc enim est plana Inquisitorum absolventium mens, ne animæ illaquerentur. Atque idem prorsus dicendum est, si hæreticus ille absolvatur ab ipso Pontifice Summo, vel ab alio de speciali ejus licentia. Quia eadem militat ratio. Id tamen erit absque dubio dicendum, nempe, id peccatum hæresis non manere ampliùs reservatum, sed posse quemcumque confessarium ab illo absolvere, esto diceremus manere pristina excommunicatione illud affectum. Quia receptissima est Doctorum sententia, tradens absolutum à casibus reservatis manifestatis, ab habente legitimam absolvendi ab omnibus potestatem, si aliquos bona fide illorum immemor tacuerit, manere deinceps liberum ab oblitorum reservatione, & posse ab illis à quocumque confessario absolvi. Sed major difficultas est, si hæreses omnes fassus sit, tacens tamen data opera aliquos actus externos, quos circa aliquam illarum exercuit. Quidam vir doctus, quem tacito nomine refert *Avila eodem dubio 3. ad finem*, inclinavit in eam partem, ut verè maneat absolutus ab excommunicatione etiam actuum occultorum. Et potest probari, quia quoties quis ob ejusdem rationis causam repetitam, incurrit excommunicationem, aut irregularitatem, non opus est numerum exprimere, sed satis est causam in communi explicare. Ut qui incurrit excommunicationem ob participationem in crimine criminoso cum concubina ob concubinatum denuntiata: vel irregularitatem ob repetitam tempore excommunicationis celebrationem, satisfacit in impetratione absolutionis, & dispensationis, exprimendo causam, etsi repetitionem taceat. Ut tradit *Enriquez lib. decimotertio, de excommunicat. cap. 30. num. 2.* & probavi *libro octavo, de matrimonio, disputatione vigesimaquarta, numero septimo*. Sed contrarium dicendum est cum *Armilla ibidem, & aliis viris doctis Societatis Jesu*, quos *ibi* tacito nomine refert. Quia Inquisitores in sententia dicunt: *Y si assi es, que de coracon se convierte, no callando de si, ni de otro, cosa alguna contra nuestra Santa Fe Catholica, &c.* Unde constat, non esse intentionem eorum absolvere. Quod quidem intelligendum est, quando actus tacitus est alicujus momenti: si enim parum faceret ad judicium, non haberetur consideratio illius. Quod si tandem quæras, an quando scienter tacuit aliquas hæreses occultas, cum publicas manifestarit, etsi maneat verè excommunicatus, possit ab hac excommunicatione absolvi instar hæretici occulti per accidens? Respondeo posse: & sic nisi decretum Tridentini esset revocatum, quatenus concedit Episcopo facultatem absolvendi ab hæresi occulta, ut revocatum diximus *cap. præcedenti, ad finem*) posset utique hunc absolvere. Posset etiam privatim absolvi à quolibet Inquisitore in foro conscientiæ, amplectendo opinionem *in hoc capit. numero 1.* relatam. Quia cum valuerit absolutio ab hæresis publicæ excommunicatione manifestatæ in judicio, restat sola excommunicatio hæresis occultæ. Atque idem credo in casu explicato *numero præcedenti*, quando hic fictè conversus est, & sic absolutio ab hæresis excommunicatione fuit irrita. Cum enim in foro externo valuerit absolutio, & fictio illa sit occulta, manebit hæresis prorsus occulta, ac proinde ac si ad forum externum deducta non esset, & instar hæresis per accidens occultæ: atque ideò hæreticus ille resipiscens poterit instar hæretici occulti per accidens absolvi. Sicut de hæretico, qui falsis testibus incolumis in foro externo evasit, diximus *cap. præcedenti numero vigesimo primo*. Et in hoc sensu est vera sententia *Emman. Sà numero præcedenti*, & juxta hoc temperanda est sententia *Suarez* quam *ibi* secuti sumus. At hæc omnia quo ad facultatem Episcopi jam cessant, eò quòd hæc facultas concessa Episcopo per decretum Trident. est jam revocata. Et ideò ut novam absolutionem legitimè obtineat, debet humiliter ad inquisitores confugere, explicans suam fictionem, aut hæreses occultatas, ejusve hæresis actus occultatos.

10 Hactenus de inquisitorum potestate egimus: jam de facultate Bullæ ad absolvendum ab hæresi agendum est. *Sotus 4. dist. vigesimasecunda, quæst. secunda, articul. 3. post quintam conclusionem in 1. casu Cœnæ, in fine*, affirmant posse hæreticum absolvi virtute Bullæ Cruciatæ concedentis casus